



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 16. Nova hæc doctrina Lovaniensis Theologicæ Facultatis jussu
examinata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, ætatis vero suæ decimo octavo nomen dedit, atque in Duacensi urbe disciplinis Theologicis vacare cœpit. Refert ex eadem Societate Scriptor quidam, qui Lessii vitam composuerat, quod is aliquando, quasnam opiniones amplecteretur, valde dubius Suarefium ejusdem Societatis Virum confu- luerit, atque illius consilio ab omni anxietate liberatus fuerit. Ceterum Lessius Vir erat morum integritate insignis, sibimetipsum austerus, ac solida pietate clarus, cum autem unacum Hamelio socio suo anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quinto Theologiam professus Lovanium veniret, anno sequenti novas propositiones de Scriptura sacra, de Providentia, Prædestinatione, Reprobatione, Gratia, ac justificatione in publicis lectionibus docere cœpit, eo fine, ut doctrinam articulis a Pio V. nupero diplomate damnatis oppositam propugnaret.

§. XVI.

Nova hæc doctrina Lovaniensis Theologica Facultatis jussu examinata.

Equidem Lessii doctrina Baji erroribus plurimum opposita videtur, cum

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

Sæcul. XVI. cum vero Facultas Lovaniensis, quam-
A.C. 1587. vis Pontificiæ Constitutioni sese plene
 subiecisset, semper tamen ad Baji opi-
 niones propensum servaret animum,
 hinc mirum non est, quod Lessii doctri-
 na Facultatis zelum concitarit, præci-
 pue siquis, prout vero sat simile est, af-
 ferere vellet, quod Bajus clam hujus
 controversiæ inceptor exstiterit (*): er-
 go præprimis ex Lessii doctrina quædam
 extrahuntur propositiones præsentibus
 cunctis Doctoribus prælectæ, ex quibus
 iustum volumen conficiebatur, trigin-
 ta quatuor complectens propositiones;
 priusquam vero in eas censura pronun-
 tiaretur, Facultas ipsis Jesuitis illas ex-
 hiberi præcepit, ut ex illis percipi pos-
 set, utrum hæc dogmata tanquam pro-
 priam Societatis suæ doctrinam ado-
 ptent, agnoscantque, vel an non po-
 tius ex Amanuensium culpa in ea scri-
 pta, ex quibus hæc propositiones ex-
 cerptæ fuerant, quidam errores irre-
 pserint, aut forte genuinus eorum sensus
 sinistra interpretatione depravatus fue-
 rit, vel utrum non ipsimet Jesuitæ in suis
 propositionibus quamdam ambiguita-
 tem deprehenderent, proin quædam
 minus

(*) Hoc falsitatis arguitur in Historia Con-
 greg. de auxiliis l. 1. cap. 7.

minus exacte prolata dilucidare, corrigere, vel fusius explicare vellent?

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

Verum Lessius perlectis hisce propositionibus scriptotenus hæc respondit: „Fateor, illas in meis scriptis contineri, earumque nonnullas integra fide esse excerptas, alias vero truncatas, atque ab iis, ex quibus genuinus sensus colligitur, avulsas exhiberi.„ Sub idem tempus Lessius libellum concinnabat, in quo circa triginta quatuor illos articulos sibi exhibitos mentem suam explicabat, huncque libellum die decima quinta Maji Reynerio Doctore præsentente Cuyckio tradebat, eo fine, ut is Facultati porrigeretur: postea congregatos rogabat, ut duos Facultatis Doctores nominarent, qui has propositiones discuterent, atque ponderarent, necnon suas difficultates proponerent, ac Jesuitarum responsa præsentibus arbitris utrinque selectis, ac probatis exciperent. Adhæc Raynerius tum Facultatis Decanus Lessii voto plene satisfactum iri pollicebatur: enimvero nullum aliud dilucidandæ veritatis, conservandæque pacis medium magis opportunum excogitari poterat, cum hac ratione obviari potuisset funestis malis, quæ ex ejusmodi dissidiis ob vehementiores utrinque animorum motus oriri solent: verum Jesuitarum preces circa
hanc

Sæcul. XVI.

A.C. 1587.

hunc articulum in irritum cecidere: quippe Facultas sententiam pronuntiare parata, ut illa majorem obtineret vim, non modo propositiones, quas ipsemet Lessius tanquam suas agnoscebat, ac Facultati proponebat, censuris notavit, sed etiam eidem transumpto, quod hi Doctores ex Lessii scriptis depromperant, insistendum decrevit: mox ergo hæc assertiones sæpius descriptæ cunctis Doctoribus tradebantur, pluresque ex Theologis in hæc dogmata suas animadversiones adjiciebant, porro ex plurium horum Doctorum judicii Henricus Gravius censuram confecit, quæ Facultati exhibita, & postmodum discussa fuit, eaque ab omnibus unanimi suffragio approbata decretum est, ut hujus censuræ duo conficerentur exempla, quorum unum ad Facultatis tabulas referretur, alterum vero per Bedelum, ut vocant, ad Jesuitarum Rectorem transmitteretur, ut is illud Professoribus communicaret. Hæc etiam die nona Septembris hoc anno effectui data fuere.

§. XVII.

Lovaniensis censura, necnon propositiones per eandem notatæ.

Hist. Congr. de aur. l. l.

Porro haud inconsultum erit triginta quatuor hæc propositiones referre, prout